

lem sed partialem aliquam eclipsin Satellitis efficeret. Quamvis enim centrum immergeretur in umbram Jovis, tamen non totum discum satellitis obscuratum iri judicabam, & ideo etiam aliis commendabam hanc eclipsin. Cum deinde Die 21 Sept. nullam sensibilem mutationem in quantitate quarti satellitis animadverterem, magis in ea sententia firmabar, eclipsin Diei 7 Octobris fore partialem. Tempestas huic observationi valde annuebat, quare in summitate sive pergula Observatorii per Tubum 26 pedum invigilavi huic observationi: Usque ad horam 10. 47'. temporis veri, ne minimam quidem mutationem seu imminutionem Satellitis deprehendere potui; sed 10 Hor. 48'. 43''. primo mihi videbatur Satelles decrefcere. 11 Hor. 1'. 13''. Satelles mihi minor videbatur. Hor. 11. 5'. 23''. Satelles mihi certe minor videbatur ac antea. Hor. 11. 9'. 14''. Satelles distinctus. Hor. 11. 28'. 45''. Satelles clarus & distinctus apparebat. Ex his collegi maximam obscurationem circa hor. 11. 0'. temp. ver. factam, quod etiam satis cum calculo conveniebat, secundum quem ea Berolini hor. 11. 1' vel 2'. contingere debuit. Et cum satellitem observassem aliquantum diminutum, semper tamen distinctè conspicuum, concludebam, satellitem circiter dimidia sui parte ab umbra Jovis fuisse obscuratum.

Ex Tabulis Astronomicis Dni. de la Hire ad Tempus observationis deducitur Locus Jovis Heliocentricus

	S.	0.	1.	11
	2 II.	24.	35.	25.
Et ejus Anomalia vera	8	13.	35.	42.
porro Jovis distantia à Sole partium				51406.
qualium distantia media terræ à Sole est				10000.
Cum vero secundum Dn. de la Hire Diam. Solis in media distantia terræ à ☉ nobis sit				32'. 10''.
Sequitur Diametrum Solis ex Jove spectatam tantum fuisse				6. 15.
Diameter Jovis ex Sole spectata circiter				33.
quæ à 6'. 15''. subtrahita, relinquunt angulum				5. 42.
qui est mensura mucronis umbræ conicæ Jovis. Ejus				
dimidium est				2. 51.
Cum hic angulus sit adeo exiguus, pars umbræ Jovis, à Jove ad 4				
				fatel-